

peccandi occasionem. Nam reliquas, quae utiles quidem sunt, sed non prorsus necessariae ad poenitentis emendationem, libere prior confessarius imposuit: unde et posterior eas commutare poterit, si judicat jam non opus esse ut ex obligatione imponantur poenitenti, sive ob ejus emendationem, sive ob timorem ne eas omittat. (Lugo, disp. 25. n. 114 seqq.)

Excipliunt plerique (Lugo, l. c. n. 104 seqq.; S. Alph. n. 529. dub. 2) poenitentiam impositam pro peccatis reservatis, quando commutatio petitur a confessario qui non habet facultatem ab iisdem reservatis absolvendi. Rationem afferunt valde stringentem: nihil posse inferiorem in legem latam a superiore. Nihilominus quidam DD. ut Navarrus, Vasquez, etc. quorum doctrinam tamquam probabilem refert Ball. P. (n. 532), censem etiam in iis adjunctis licitam esse commutationem. Nituntur hac ratione: ablata per primam absolutionem reservatione, jam illa peccata remanere perinde ac si reservata non essent; unde, si poenitens ea iterum inferiori confessario subjiciat, is poterit de iis judicare perinde ac de non reservatis, ac proinde poenitentiam commutare. Ad proxim autem sufficit sententia, quam etiam S. Alph. (l. c.) probabilem dicit: hanc commutationem licere, si gravis detur causa, neque facilis sit accessus ad superiorem; quia tunc inferior prae sumere potest convenientiam superioris. Idem merito extendit Ball. P. (l. c.) ad casum quo sola causa commutationis esset fragilitas poenitentis et adiri posset superior. Superior enim supponendus est vir prudens: qui, si compriisset hanc poenitentis imbecillitatem, id ipse fecisset, et idecirco non renuit ut (quod natura rei postulat) ab alio fiat, etiam se non consulto.

Alter confessarius nequit sane commutare poenitentiam extra confessionem: is enim actus est, e potestate clavium, judicialiter ponendus; sacerdos autem nequit actu judicium sacramentale exercere extra confessionem. Oportet ergo ut haec commutatio conectatur cum absolutione, vel statim, vel post aliquod tempus concedenda. (Lugo, l. c. n. 110) Controvertitur vero num in ea confessione repetenda sint peccata pro quibus poenitentia fuerit imposta. Plerique AA, affirmant requiri ut saltem praecipua peccata repeatantur, quantum sufficiat ad habendum confusam notitiam status poenitentis: quia, causa non cognita, non potest sacerdos sententiam proferre vel priorem sententiam mutare. (Lugo, l. c. n. 108) Alii, quorum doctrinam S. Alph. (n. 529. dub. 1) satis probabilem dicit, negant hanc obligationem: quia in hac secunda confessione non agitur de judicio ferendo super culpis delatis in confessione praecedenti, ubi judicium jam fuit informatum, sed tantum de poenitentis impotentia sive imbecillitate ad poenitentiam implendam. Ut autem observat Ball. P. (n. 536), cum omnes hic supponant dari huic alteri

confessario cognitionem poenitentiae, jam necessario habebitur aliqua notitia confusa status poenitentis: ac proinde jam nulla videtur esse inter DD. oppositio. Sed multi, ut Lugo (n. 110), sane magis distinctam notitiam postulant, neque valde verisimile appetit quod in hac explicazione cum S. Alph. (n. 502) asseritur: ex ipsa notitia poenitentiae posse confessarium efformare judicium de statu poenitentis. Attamen, addita nova confessione, jam magis innotescet confessario status animae poenitentis. Ergo practice nihil amplius exigendum. Adverte, cum S. Alph. (n. 529), confessarium, ubi audit poenitentem non implevisse poenitentiam, nec facile impleturum esse, posse illam etiam non pelenti commutare.

Probabilis, ut tollatur obligatio prioris poenitentiae, requiritur ut confessarius eam velit commutare et tollere: nam sententia prior manet in suo robore donec ab alio judice revocetur. (Lugo, disp. 25. n. 103) Alii tamen, ut Suar. (disp. 38. sect. 10), sentiunt integrum esse poenitenti qui iterum peccata confessus sit, quam maluerit poenam eligere: quia haec est judicii sacramentalis natura ut super eamdem causam sit iterabile in favorem poenitentis, idque non per modum appellationis, sec per modum novi judicii aequalis praecedenti.

§ 2. OBLIGATIONES POENITENTIS CIRCA SATISFACTIONEM SACRAMENTALEM.

317. I. Poenitens obligatur ad poenitentiam acceptandam et implendam, et haec obligatio ex genere suo est gravis.

Deducitur praesertim ex Trid. Sess. 14. c. 8. (cit. n. 312) Nam obligatio gravis in sacerdote imponendi poenitentiam, eamque peccatis proportionatam, necessario supponit, in poenitente obligationem eam acceptandi et implendi: quae obligatio gravis sit, si talis fuerit et poenitentia. Secus enim non fieret alienorum peccatorum particeps sacerdos qui levissimam poenitentiam pro gravissimis delictis impuneret, cum nihil aliud faceret quam quod poenitens jure suo fieri vellet. (Lugo, disp. 25. n. 69)

Attamen nulla culpa in eo appetit quod poenitens recuset poenitentiam quae, spectata disciplina hodie recepta (n. 312), sit manifeste irrationabilis aut nimia. Immo, ut notat Ball. P. (n. 504), vix practicus est casus poenitentis graviter peccantis eo quod poenitentiam acceptare nolit. Nam aegre occurret qui velit omnino absolvi cum poenitentia leviore, dum confessarius omnino recuset eam moderari. Etenim fere semper poenitens recedet, absolutionem apud alium confessarium quaesitum: qua in re probabiliter (Lugo, l. c. n. 77) non committit peccatum grave,

quia non videtur obligatus, saltem sub gravi, ad confessionem statim prosequendam donec absolutionem receperit. Insuper, ubi prudens est confessarius, facile vitabitur hujusmodi conflictus cum poenitente. Nam, ut optime dicit Suar. (disp. 38. sect. 7) : "Confessores in hoc non debent esse nimis difficiles, sed accommodari oportet fragilitati poenitentis et leviores illis poenitentias imponere, si graviores acceptare illi nolint, praesertim quando non est aperta eorum malitia et medicinae necessitas in futurum non urget, ut moraliter vix possit fieri magna dissensio inter confessarium et poenitentem, si uterque licite et juste suo munere fungatur."

Manifestum est nullam dari obligationem implendi poenitentiam, si confessio fuit invalida vel non est collata absolutio: non est enim vera poenitentia sacramentalis.

318. II. Ut poenitens teneatur **sub gravi** ad poenitentiam implemandam, requiritur ut in ea concurrant **tres condiciones**:

1º Ut materia sit gravis, juxta exposita n. 312: nam materia levius non est gravis obligationis capax.

2º Ut imposta fuerit pro peccatis mortalibus nondum remissis. Consent quidem multi DD. sub gravi obligare poenitentiam notabilem pro peccatis levibus vel mortalibus jam remissis impositam, eo quod gravitas vel levitas hic semper mensuranda est e materia praecepta. At plurēs alii, ut Suar. (disp. 38. sect. 7), quorum doctrinam satis probabilem censuit S. Alph. (n. 517), negant talēm poenitentiam imponi posse sub gravi, propterea quod Trid. (Sess. 14. c. 8) jussit poenitentias imponi *pro qualitate criminum*, ac proinde, ubi deficit crimen grave, nequit imponi poenitentia gravis, saltem sub gravi. Neque videtur necessaria limitatio quam S. Alph. (l. c.) censet apponendam: poenitentiam gravem imponi posse et acceptandam esse pro venialibus quae poenitentem valde disponant ad mortalia, ut periculum istud removeatur. Rectius enim a Suar. (l. c.) dici putamus: poenitentiam sub gravi obligantem pro peccatis venialibus tunc tantum imponi posse, quando necessaria est ad curandam spiritualem poenitentis infirmitatem, ac proinde non tam est nova impositio quam declaratio obligationis quam poenitens de se habeat.

3º Ut confessarius voluerit sub gravi obligare: quod tamen prae sumendum est ubi materia notabilis pro gravibus peccatis imponitur. Pauci etiam Theol. negarunt integrum esse confessario poenitentiam notabilem imponere sub obligatione tantum levi. Sed communior sententia hanc facultatem confessario agnoscit, sicut cuiilibet Superiori. (Vol. I. n. 106, III) Id a fortiori deducitur ex opinione sane probabili quam sequitur Suar. (disp. 38. sect. 3): posse etiam poenitentiam

injungi sine ulla obligatione. Hoc a S. Alph. (n. 518) omnino improbabile dicitur: quia legislator potest quidem legem ferre vel non ferre, sed nequit legem ferre quae non obliget: quippe quae merum consilium foret. Verum haec ratio non evincit intentum. Impositio poenitentiae est quidem actus jurisdictionis; sed, ut talis sit, sufficit designatio operis implendi ejusque elevatio ad dignitatem satisfactionis sacramentalis. Neque appareat quomodo id negari possit ab iis qui, ut S. Alph. (n. 507), tenent omnia bona opera poenitentis, sine ullo praecepto, ad hanc dignitatem elevari per formulam: Passio D. N. J. C. etc. Tandem censemus, cum Ball. P. (n. 511), parum solidam esse restrictionem ab eodem S. Doctore positam (l. c.): confessarium semper teneri ex. Trid. (Sess. 14. c. 8) ad opus grave sub obligatione gravi injungendum iis qui peccata gravia confessi sint. Talem enim limitationem non solent ponere hujus communioris sententiae patroni, neque appareat cur gravem obligationem tollere nequeat confessarius, si id postulare videatur spiritualis infirmitas poenitentis.

Manifestum est graviter peccaturum qui partem poenitentiae graviter obligantis omittat, si haec pars in seipsa spectata notabilis sit. Idem dicendum de omissione circumstantiae quae notabili mortificationi vel operi pietatis aequivaleat, puta ut longa oratio genibus flexis recitetur: quamquam hujusmodi carnis afflictiones nonnisi cum magna circumspectione imponendae sunt.

319. III. De ratione implendae poenitentiae attendenda sunt praesertim sequentia:

1º Qui poenitentiam implet in statu peccati mortalis, manet liber ab obligatione sibi per confessarium imposta: nam ad implendum praeceptum sufficit ponere opus prae scriptum, etiamsi praecepti finis non obtineatur. Multi tamen, cum S. Alph. (n. 523), opinantur id a peccato veniali non posse excusari, eo quod sic ponitur obex effectui partiali sacramenti. Sed alii, ut Lugo (disp. 25. n. 40), id ab omni culpa excusant: quia satisfactio in statu peccati mortalis praestita, postea, remoto obice, effectum suum consequetur. Adde in pluribus poenitentiis manifesto non requiri statum gratiae, puta si quis jubeatur post singulos lapsus elicere actum contritionis. (Ball. P. n. 519)

2º Certum est non posse poenitentem pro arbitrio suo poenitentiam impositam in aliam, etiam perfectiorem, commutare. Nam nequit subditus voluntati Superioris suam substituere: eo vel magis quod opus impositum, non autem aliud quodlibet, ad dignitatem satisfactionis sacramentalis elevatum est. (Lugo, disp. 25. n. 95 seqq.)

3º Nequit poenitens opus bonum, puta jejunium, quod personaliter ponere jussus est, alteri faciendum committere. Patet e prop. 15^a ab

Alex. VII damnata : " Poenitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat. „ Ratio est : id manifeste adversari voluntati a confessario manifestatae ut hoc opus bonum, tamquam pars sacramenti, ab ipso poenitente ponatur. Aliter dicendum esset si ipse confessarius jussisset poenitentem procurare ut bonum opus ab alio perageretur : nam sic patet ejus voluntatem esse ut tamquam pars sacramenti ponatur actus, quo alter ad hoc opus bonum inducatur.

4º In interpretanda obligatione poenitentiae imprimis spectanda est voluntas confessarii expresse manifestata vel rationabiliter ex adjunctis consuetudine, etc. collecta. (Vol. I. n. 112) Ideo ex. gr. qui jesus est duas audire Missas, non satisfacit si assistit duabus quae simul a duobus sacerdotibus celebrantur; qui omisit jejunium pro certo die praescriptum, tenetur, saltem regulariter, ad jejunandum alio die, nisi ex adjunctis colligere possit confessarium principaliter intendisse ut hoc die jejunaretur. (S. Alph. n. 525)

5º Nullatenus necesse est ut poenitentia ante communionem impleatur. Huc facit prop. 22ª ab Alex. VIII damnata : " Sacrilegi sunt iudicandi qui jus ad communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint. „

6º Satisfacit qui opus in poenitentiam praescriptum ponit, etiamsi nullam habeat satisfaciendi intentionem, immo probabilius, etiamsi diserte intendat illud e mera devotione ponere. Nam eo ipso quod fit opus a confessario impositum, elevatur illud opus ad effectum sacramentalem causandum per voluntatem sacerdotis praecedentem. (Lugo, disp. 25. n. 34 seqq.; Sanch. in Dec. 1. 1. c. 13. n. 17)

320. IV. Ut determinetur quantum sit peccatum in **dilata poenitentia**, attendenda sunt ea quae in simili argumento de voti dilatione dicta sunt. (Vol. I. n. 321) Itaque :

1º Si nullum tempus determinavit confessarius, poenitentia implenda est quamprimum commode fieri potest. Quanta autem dilatio sit gravis, plurimum disputant DD. (S. Alph. n. 521), ut fieri solet ubi certa lex deficit : nam alii octo dies, alii sex menses, alii annum ponunt. Rectius Lugo (disp. 25. n. 92) requirit longum tempus, nihil amplius determinando, et Ball. P. (n. 521) opinatur nullam dilationem fore gravem nisi poenitens, differendo sine causa excusante, se conjiciat in statum impotentiae ad poenitentiam exsequendam. Certe non requiritur ut poenitentia absoluta sit, antequam iterum ad poenitentiae sacramentum accedatur.

2º Quando confessarius tempus determinavit, non videtur gravis dilatio ad breve tempus, puta si rejiciatur jejunium feriae VI^{ae} in diem Sab-

bati, vel obligatus ad communicandum singulis mensibus differat ad sex vel octo dies. (Bus. ap. S. Alph. n. 521) Supponitur tamen per hujusmodi dilationem non minui substantiam operis praescripti, puta tot fieri communiones quot menses elabuntur. Opinatur etiam Ball. P. (n. 523) universe non esse presumendum confessarium voluisse ut sub gravi cadat quaevi dilatio, etiam ex mera socordia.

V. Quando poenitens etiam culpabiliter **poenitentiam oblitus** est, non tenetur, juxta communem sententiam (S. Alph. n. 520), repetere confessionem ut aliam poenitentiam accipiat. Nemo enim tenetur repetere peccata sua semel distincte accusata et directe remissa. Attamen poenitens teneretur ad confessarium suum interrogandum, si putaret illum adhuc memorem esse poenitentiae injunctae. Sed ab hac obligatione excusatur ob rationabile incommodum : quod saepe aderit si coram aliis redeundum est ; deinde in multis adjunctis prudenter praesumi poterit confessarium poenitentiae oblitum esse.

CAPUT IV.

DE OBLIGATIONE SUSCIPIENDI SACRAMENTI POENITENTIAE.

321. I. Datur omnibus et solis baptizatis **praeceptum divinum** confitendi peccata mortalia post baptismum commissa. Nam, ut probant Dogmatici et definivit Trid. (Sess. 14. c. 5) : " Ex institutione sacramenti poenitentiae... universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integrum peccatorum confessionem et omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere. „ Igitur, cum sacramentum poenitentiae vel ejus votum, contritioni inclusum (n. 270, II), sit omnibus post baptismum lapsis necessarium ad salutem, liquet eosdem jure divino teneri ad confitendum, nisi impotentia excusentur.

Urget hoc divinum praeceptum per se in periculo saltem probabili mortis : quod intellegendum est ut, in simili causa, dictum est de obligatione Viatici suscipiendi. (n. 206) Ratio est : eum qui in tali periculo obligationem a Christo impositam non impleat, se manifesto periculo exponere eam numquam implendi, perinde ac si teneretur ad aliquam restitutionem faciendam, ad secretum revelandum, etc. Quare idem officium viget in casu, sane rarissimo, quo aliquis per reliquam vitam jam numquam copiam confessarii habiturus est, vel nullum reperturus est qui eum a reservatis absolvere possit.